





12  
1787 9  
ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI  
D E C A N V S  
GODOFREDVS AVGVSTVS *7a*  
M E E R H E I M

POESEOS PROF. PVBL. ORDINARIVS

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS

*SOLEMNIA*

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

A. D. XVII. OCTOBR. MDCCCLXXXVII

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE  
CANDIDATIS

INDICIT

PROLVSIONE ADDITA

DE

NOTITIAE TERRARVM POLITICAE PRIMIS LINEIS  
RECTE DESIGNANDIS

PARS I.

CHOROGRAPHIAM STATISTICAM AMPLEXA.

---

VITEBERGAE,  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

ORDINIS IULIO IN ACAD. VITBERGENSI  
D E C A N V S  
GODOFRIDVS AVGVSTVS  
M E R R H E I M  
POESIOS PROO. PVBL. ORDINARIVS  
M. T.  
COMES PALATINVS CAESAREVS  
SOLEMANVM  
CONFERRENDAE VTRIVSQVE LAVRAE  
A. D. XVII. OCTOB. CIO. CXXXVII.  
PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE  
CANDIDATVS  
IN OLVSIAE ACADEMIA  
NOTITIAE LIBRARII HOLLANDICAE PARISIENSIS  
CENSURA LIBRARII BRITANNICAE LONDINENSIS  
VITBERGENSIS  
THEATRI CAESARIS VITBERGENSIS



Incredibile fere est, quanta, et quam insignia incrementa notitia terrarum et populorum Politica, quam nostrates *Statistische* siue *Staatenkunde* compellare solent, ex viginti his annis ceperit, vt quae tenuissimis initiis orta, postquam *Hermannus Conringius* primum ei cathedram in Academia Helmstadiensi patefecerat, a Geographica descriptione ac Philosophia Politica (*theoretische Staatslehre*) aegre diuelli poterat, nunc demum ditionem propriam sibi vindicauerit, atque in iustae disciplinae modum formamque prouecta sit. Non frustranda est aetas nostra honore debito, quae tandem ineptae illi taciturnitati valedixit, fontesque liberaliter reclusit, vnde harum rerum cognitio rite hauriri potest. Nam, quae antea dicere vel audire nefas erat, atque in ipsa patria vel ab vniuersis studiose ignorabantur, vel a paucis, in quarum potestate erant, silentio plusquam Pythagorico occultebantur, iam magno humani generis commodo impune promuntur, ac vulgo in ore omnium versantur. Vtraque autem pars laude dignissima, cum illi scriptores, qui ingenue atque audenter res abditas scituque in hoc genere maxime necessarias e latebris in lucem protraxerunt, cuius conatus gloria duobus summis viris *Büschingio* et *Schlözero* inprimis debetur, quorum collectiones Historico Politicae non modo primum aggeres perfregerunt, quibus dicendi libertas comprimebatur, nouumque palam de rebus ad statum publicum spectantibus disserendi *Publicitatis* recens nomen meritumque pepererunt, verum etiam tantam aemulationem in animis hominum excitarunt, vt gregatim ac non sine successu vestigia

A 2

corum



eorum sequerentur alii, qui monumenta idonea de variis regnis ac populis proderent: Tum vero maxime illa reipubl. Gubernatorum facilitas celebranda, quae diuulgata haec mysteria non modo non, vt olim, inter sacrilegia reposiuit, sed etiam ipsa non raro adiuuit. Quid denique de egregiis illustrium virorum meritis praedicandum, qui, cum ipsi ad clauum reip. sederent, rationem de statu ciuitatis suae publice reddere non erubuerunt, quos inter ad modum commentariorum Sullyanorum nuper *Neckerus*<sup>a)</sup> in Gallia, *Herzbergius*<sup>b)</sup> in Borussia, *Campomanes* in Hispania aliique grauissimum exemplum praeciuer. Quo factum est, vt, cum ante quinquagesimum huius seculi annum de plerisque nobilissimis Europae regnis vix magis aliquid comperiti haberetur, quam de Scythiis aut Hyperboreis, cum praeterea illa, quae vulgo circumferebantur, vel fabulosa essent commenta, vel saltem vltra centesimum annum obsoleta, nunc demum contingeret nobis verum eruere, ciuitatisque cuiusque formam velut in speculo contemplari. Mirum vero sane est, quanta vis insit scientiae huic ad capiendos hominum animos, id quod inde facile patet, quod post faces has accensas decima fere pars omnium librorum recens in nundinis litterariis quotannis veneuntium ad hoc genus referri debeat, studiumque incredibile incesset cunctos non eruditos solum, sed etiam litterarum expertes, in his aliquid proficiendi. Ob ingentem autem rerum huc spectantium molem ac numerum nihil magis curandum, quam vt cementa, lapides et materia vndique congesta rite disponantur, apteque inter se cohaereant. Quamobrem hoc architecti sapientis munus praecipuum esto, ne quid alieni abundet, ne quid praetereatur scitu dignum, ac denique omnia tam congrue collocentur, vt iusto ordine se excipiant.

Quam-

a) Vid. *Compte rendu, et sur les Finances de France.*

b) in dissertationibus quotannis in Academia Scient. Berolin. praelectis.



Quamuis autem huic desiderio iam satisfactum esse plerisque videri posset, qui reputantes scientiam hanc iam ab *Achenwallo* insigni eius restauratore in formam artis redactam, ac deinde a celeberrimis viris *Tozio*, *Walchio*, *Remero*, *Watermeyero* aliisque adornatam atque excultam esse, nouo habitu haud indigere existimarent: His tamen lubenter respondemus, nos nequam obtretractores famae horum scriptorum, quam duo priores certe communi suffragio consecuti sunt, in forum procedere, neque insolens quid, ac nouum promittere, sed pro infinita rem eandem tractandi ac proponendi varietate singuli singulari via eodem contendere possunt. Sicut autem incommodum foret, antiquius scripta omnibus numeris absoluta iudicare, si praesertim vsus cultusque subsequens multa immutauerit, ita in hac doctrinae genere, quod cum maxime variari solet, atque hactenus tantopere auctum, expolitumque est, nouam rationem, vt temporibus inferuiamus, subinde capessere, opus videtur. Hinc *Gattererus* praestantissimus sane methodi in arte historica magister, copiose et grauius de hoc argumento in Oratione Societati Gottingensi praeclecta de *Idea notitiae Politicae Orbis vniuersi* <sup>c)</sup> disputauit, expensisque omnibus veterum ac recentiorum a *Francisco Sansouino* ad *Bertramum* vsque versandi in hac disciplina modis suam denique ipse sententiam dixit, remissa tamen vnicuique secus sentiendi ac construendi libertate. Qua freti licentia et nos formulam quandam subiicere tentabimus, quae nobis quidem ad rectam institutionem maxime opportuna videtur, simulque animaduersionibus, atque illustrationibus appositis operam dabimus.

Omnis autem singulae cuiusque reipublicae descriptio politica ipsam naturam atque indolem ciuitatis in vniuersum sequi debet.

A 3

c) *Ideal einer Weltstatistik*, Göttingen 1772: atque ante eum *I. A. Bosius* in *Introductione generali in notitiam rerum publicarum*, Ien. 1674. et *I. N. Hertius de notitia singularis reip.* et plures alii.



debet. Prout igitur *materiam* ciuitatis duo inprimis constituunt, *Solum* seu certa ac definita terrae pars, ac *Populus* seu iusta hominum multitudo, forma autem *regimine* nititur, quod omnia arte constringit, aequabiliterque designat: Ita quoque eiusmodi tractatio tribus absoluitur partibus, primo notitia soli, seu regionis, de qua agitur, in se consideratae, quae sectio *Chorographica* vocari potest, deinde incolarum seorsim instituta descriptione, quae *Anthropologia* statistica, tertio denique vniuersi aedificii civilis delineatione, quae pars *Politica* in specie appellanda erit.<sup>d)</sup> In persequendis autem singulis his membris multa enodatione, accurataque distinctione opus est.

Quae igitur primum locum tenet, *Chorographia* statistica omnes notiones generales, quae de regione praedicari possunt, diligenter examinet, suoque loco recenscat, inprimis autem eas, quae nominatim cuique terrae competunt, quibus ab aliis discernitur, verumque eius pretium inde aestimare doceat. Hinc quantitatem, vires, virtutes, incommoda, opes, diuitiasque exponat necesse est. Hoc loco non praetereundum est ingens discrimen, quod inter *Chorographiam* statisticam, et *Geographiam* specialiore intercedit, haec nimirum articulatim pedetentimque procedit, narrare magis, quam examinare solita, illa autem summam omnia comprehendens de vniuerso iudicat.

In limine statim huiusmodi tractationis, vt certo constet, de quo sermo habeatur, *Nomen* terrae exhiberi par est. Si autem, vt saepius fieri solet, eadem regio pluribus denominationibus vsu communi insigniatur, aliis etiam antiquioribus non posthabitis de ea inprimis curandum, quae in actis ac monumentis

<sup>d)</sup> Si subtilius philosophari velis duae sectiones priores, tanquam partes iuxta se positae atque vni notioni generali parentes, in vnam contrahi possent, quod *Gattererus* commendat, sed partim ob fugiendam confusionem, partim ob singularem cuiusque grauitatem melius dirimuntur.





mentis publicis recepta est, neque satis est, eam nostro sermone indicari, sed quoad eius fieri potest, idiomate gentis istius proprio induci debet. \*) Quia autem terrae ditioni vnus populi subiectae, in magnis praesertim imperiis, non semper eiusdem sunt conditionis, originis ac dignitatis, probe ab initio secernenda est *Terra principalis* seu populi regnantis domicilium, a reliquis, quae *Terrae aduentitiae* vocantur, quae non raro per omnes orbis plagas disiectae sunt. Harum quidem notio adhuc valde incerta est, plerumque tamen eae potissimum intelliguntur, quae occupatione aut vi bellica in potestatem gentis cuiusdam peruenerunt, quanquam alias etiam prouinciae situ tantummodo longius disiectae, aut haereditate ac matrimonio a principe acquisitae huc referuntur. Cum vero plurima Europae regna, non antiquitus semper eadem fuerunt, ac nunc sunt, sed ex variis prouinciis olim disiunctis sensim in vnum corpus coaluere, quae tanquam partes constitutivae totius considerandae sunt, harum quoque index secundum ordinem ac dignitatem earum suppeditandus erit, cuius generis sunt Regna, Electoratus, Ducatus, Comitatus, etc. Ita v. c. Monarchia Austriaca ex tot tamque amplis terris conflata est, quas neque temere confundere, neque nimium diuellere expedit, quia nimirum omnes tanquam membra aequalia in vniuerso conspiciunt. Alias enim facile in incommodum incideremus, vt ca-

put

\*) Ita v. c. Transsylvania a ciuibus suis Hungaricae stirpis *Erdely* vocatur. Neque plane abiicienda est in nominibus explicandis Etymologiae cura, quae non modo, si recte suppeditatur, a vulgaribus fabulis atque erroribus sanat, sed etiam nonnunquam ad meliorem intelligentiam aliquid confert; ita vt in proposito exemplo substituamus, Transsylvania, quae apud nos *Siebenbürgen* audit, dia credita est nomen a septem capellis traxisse, idque ab optimis scriptoribus traditum est. Mihi vero longe probabilius videtur tractam hanc vocem esse ab vrbe primaria in terra Saxonum *Hermannstadt*, quae hungarice *Szeben* et latine *Cibinium* vocatur, quod, quantum memini, a nemine adhuc obseruatum est.



put seu terra principalis aut aegre definiiri posset, aut dignitate inferior suis aduentitiis apparet, adeoque in hoc casu Archiducatus Austriae supra regna Hungariae, et Bohemiae collocandus foret. Probe autem hic notari meretur distinctionem istam mere Geographicam atque Historicam esse, id est, ut doceatur, quae membra vel natura ipsa seiunxerit, v. c. Noruegiam a Dania, Hiberniam ab Anglia, et Scotia, vel quomodo olim a se distiterint. Toto igitur coelo differt haec distinguendi ratio a diuisione politica, quae ad arbitrium imperantis instituitur, sibi multo minus constat, ac plerumque longe ultra illius fines progreditur, de qua infra dicendum erit. Sic, ut exemplum habeas, prouinciae imperii Russici, aut regni Gallici longe aliter se habent geographice aut historice, quam ex recentiore diuisione politica.

His rite expositis propius accedendum est ad ipsam terrae cognitionem, quae, ut equidem reor, optime ex rationibus vel *Mathematicis*, vel *Physicis*, vel *Oeconomicis* deduci potest. Ad primum genus duo maxime pertinent *magnitudo* ac *situs*, quibus doctrina de *finibus* subiecta est.

*Magnitudo* autem regni cuiusque extensione geometrica in orbe terrarum conficitur, cuius inuestigatio, quamuis ad verum eius pretium eruendum minime sufficit, praeclaram tamen habet utilitatem. Reperiundae huius quantitatis triplex haecenus via tentata est, vna, quae fallacissima, atque in interruptis terris plane locum non habet, lineam rectam ab oriente ad occidentem, itemque a meridie versus septentrionem in prolixissima extensione ducit, altera, quae si res ita fert, paulo accuratior, extremos ad omnia latera circuit terminos, ac Peripheriam designat, tertia denique, longe praestantissima omnem terrae superficiem miliaribus quoquoversus quadratis computat. Auctor inuenti huius nobilissimi *Büschingius* memorari debet, quem deinde



deinde *Templemanus*, *Kitchinus* aliique imitati sunt, quos omnes nuper *Cromius* singulari libello inter se comparauit, pluribusque aliis subsidiis adiutus rationes vero proximas subduxit. <sup>f)</sup> Sed cautissimus in amplectendo vno horum computorum scriptor fit necesse est, quia multum differt, num eiusmodi mensura in mappis geographicis ad pusillam formulam redactis ineatur, an magno apparatu in ipsis agris perficiatur. Quo factum est, vt rationes illo modo subtractae saepius ultra dimidium a se recederent, ad posteriores autem perueniendi rarissime copia esset, quandoquidem paucis regnis haec metationis gloria contigit, qualis nuper ingenti conatu in Russia suscepta est, in quibusdam vero regionibus, vbi instituta fuit, in aulis asseruata nondum in publicum emanauit.

Alterum quod ex notionibus mathematicis demonstrari potest, *Situs* terrae erat, hoc est exacta comparatio ad gradus longitudinis et latitudinis coelestis. Quae res quamuis nondum satis accurate de omnibus terris explorata sit, atque ante *Tobiae Mayeri* Chartam Criticam de ipsa Germania ignorabatur, certius tamen sciri potest, atque insignem usum praestat cum ad magnitudinem ipsam definiendam, tum ad multas alias quaestiones discutiendas. Praeter istam vero designationem quaedam etiam *altitudinis* s. eleuationis terrae supra planitiem maris mentio facienda esse videtur, quod haftenus a plerisque neglectum est, licet permultum inde in perferutando terrae locorumque ingenio, lucis redundet. <sup>g)</sup> Ambobus hisce capitibus doctrina de *Finibus* optime subnectitur, atque ex iis magnam partem

f) Ueber die Größe und Bevölkerung der Staaten, mit einer illuminirten Karte, welche den Flächeninhalt vorstellt. Leipzig 1786.

g) Locupletissimum eiusmodi observationum catalogum a summis viris institutarum *Fabri* in *Geographia communi*, (*Geographie für alle Stände*) p. 130 seqq. dedit, vt iam ante eum *Gatterer* in *delineatione Geographiae* pag. 90.



tem demonstrari potest. Horum autem delineatio quantum fieri potest accuratissime, ac certissimis ex indicis facienda, quia magna terrae in Europa est caritas, ac propter exiguum spatium cruentissima saepe coorta sunt bella. Natura an ars constituerit, ante omnia disquiri debet, quia illi longe tutius probant ac nullis vicissitudinibus obnoxii sunt, cuius generis prima species est *ora maritima*, quae vel continentem terminat, vel vndequaue insulam a reliquis terris secludit. Proxima huic sunt flumina magnum terrae tractum secantia, vt Rhenus olim Galliae ac Germaniae arbiter erat, et ex parte adhuc mansit, ac porrecta montium iuga, quae quo magis inaccessa, tanto minus turbanda. Alios vero limites gentium dominatus, vi pactisque sibi posuit, in quibus longe magis inest difficultatis. Complures ex Geographorum ac Politicorum turba hos non stricte atque absolute describere solent, sed comparatiue seu ex vicinitate populi finitimi, quod inane est studium, ac lectorem in orbe circumagit. Voluntariorum autem finium non vna quoque est species, sed altera alteri praestantior. Nonnunquam praesertim apud veteres ars naturam imitata est, atque aggeribus congestis, aut fluminibus manu factis diuersa dominia intersepsit cuius rei Romani passim ac Ptolemaei in Aegypto specimina dederunt, et quibuscum quandam adhuc similitudinem habent valla fere continua Borysthenem inter et Tanaim a Russis quondam erecta. Quia vero hoc inter moratiores gentes non vsu venit, satis est, confinia mutuis conuentionibus aut pacis legibus indubitate esse descripta, ac locis notabilioribus aut certis signis distincta. Valde vero dolendum est, perpaucam Europae regna tam curiose esse circumscripta, sed plerumque re ad obseruantiam, et consuetudines remissa summam incertitudinem ibi obuersari, ac largam litium segetem inde enasci. <sup>b)</sup>

Trans-

<sup>b)</sup> Moser de dubiis Germaniae finibus.

Transeundum nunc est ad alterum cognitionis principium, rationes inquam Physicas, vnde suae cuique regioni proprietates competunt, et quo in respectu illa tanquam rudis moles consideratur, cuius externa solum facies nos tangit.

Ad tres potissimum causas haec quaestio reuocari potest, terram ipsam continentem, aquas, et aerem, proinde vel *Geologia*, vel *Hydrographia*, vel *Meteorologica* descriptio nascitur. Quod ad primam attinet, quem telluris vultum natura finxerit, dispiendum, quae glebae ut plurimum sit indoles, num arena, humus, creta, argilla eam, deinde num ad planas aut ad montosas regiones pertineat, qui insigniores in ea reperiantur montes, promontoria, aut iuga, haec quo, et quatenus brachia portendant, quae vulcanorum vestigia, quae valles, qui specus et id genus alia. Ita ad descriptionem *Hydrographicam* omnis aquarum moles, quae regionem istam attingunt referenda est, vnde statim apparebit, num ad aridas aut irriguas censerit debeat. Inprimis vero marium, ad quae ista terra vergit, ratio habenda est, littorum qualitas atque eorum extensio notanda, praesertim si quae freta, quorum imperium exerceri potest, adiaceant, sollicite obseruandum, neque lacus maiores praetereundi, stagnorum, paludumque mentio facienda. Tum ad *flumina* proceditur, nobiliorum, inprimis nauigabilium origo et cursus doceatur, quoinde, et quatenus in potestate contineantur, quorumque ostia intra ditionem in mare crumpant sedulo enarretur. Fluuuii minores autem atque arte facti, deductique vna cum illis, quorum imperio seruiunt coniunctim exponi debent, vnde elegantissimus oritur conspectus totius aquarum thesauri, quae in territorio reperiuntur, nec non inundationum crebra aut rara pericula obseruentur.

## B 2

## Tertio

i) Qualem laborem Comes Marsilius in Danubio praestitit, et noua *Mappa Hydrographica regni Austriaci* promittit.



Tertio tandem *aeris* natura modique in regione explorandi,

Huc igitur locus de *temperie coeli*, quod *clima* vulgo vocatur, referendus est, quae, vti iam constat non ex sola ab aequatore distantia dignosci potest, sed ex multis aliis causis simul proficiscitur, quarum inductione opus est. Ita v. c. altitudo terrae, vicinitas maris, sylvarum densitas, et ipsi longitudinis gradus multum huc conferunt. Optime autem hoc sicut etiam locus de *gravitate aeris* ex observationibus domesticis diuturnis accuratisque discitur. <sup>h)</sup> Eodem postremo ventorum, vel semper, vel stato tempore locoque regnantium indicium trahendum, neque quantae, et quam crebro tempestates, procellaeque ibi saeuire soleant, obliuiscendum.

Vltimum nunc principiorum genus in cognitione terrarum, quae *Oeconomica* vocantur. Haec vero nihil aliud sunt, quam earum rerum in regione ista prouenientium naturalis historia, quae ad vsus humanos plurimum faciunt. Ex quo facile est intellectu, maximum in his esse praesidium ad verum terrae cuiusque valorem excutiendum, adeoque omnia ea, quae curiositatis gratia, alias in hac scientia ob naturae artificium traduntur, solamque admirationem excitant, hinc exulare, nisi ad vitae humanae adminicula pertineant. <sup>l)</sup> Ambigi vix potest vniuersim hanc tractationem commodissime, vt solet, secundum tria naturae regna dispesci posse. <sup>m)</sup>

Ex *animantium* igitur genere iure primum locum domestica occupant, atque in his *iumenta*, quorum ope industria humana plane carere nequit. Equorum igitur bouumque cultura notari mere-

<sup>h)</sup> Vid. *Gatterer* l. c. p. 131.

<sup>l)</sup> Vix itaque probare possumus longam totius historiae naturalis ad *Blumenbachii*, *Linnæi*, et *Gmelini* formulas recensionem a *Fabri* Prolegomenis Geographiae communis intextam.

<sup>m)</sup> Maluimus itaque in his auctoritatem *I. Beckmanni* in *Oeconomia Germanica*, et *L. Bellosohrui* in *Introductione Politica*, quam aliorum sequi.

meretur, quibus dotibus vitisue gignantur, et quae vtriusque sint causae. Praeclaro exemplo in quibusdam regionibus eorum numerus quotannis exquiritur, qui, si haberi potest, diligenter indicari debet, praetereaque bubalos, mulos, asinos, quorum species Europa alit, nominasse iuuabit. E *pecudibus* autem dignissima *ouium* cura, quae saepius ob lanificiorum vsus immensum quantum ad diuitias terrae afferunt, quibus porcini et caprini greges, atque ex his potissimum Ancyrenses subiungendi. Sicut autem *venationis* ac ferarum cum, quarum carnes amantur, vt ceruus, aper etc. tum inprimis, quarum pellibus insidiae fiunt, ratio habenda est; ita quoque *piscaturam* tam fluuiorum ac piscinarum, quam vel maxime maritimam saepius lucrosissimam silentio praeterire non licet. Eodem loco *vegetilium*, *amphibiorum*que foecunditas habenda, ex *insectorum* vero turba de *apibus* praefertim, *bombycis*que nutritione dispiciendum. Quicquid insuper ex omnibus his animalium ordinibus terrae humanoque generi rapinis aut deuastationibus noxium ac periculosum est, haud praetermittatur.

Vastissimum deinde *Plantarum* imperium perlustretur, atque ex infinito earum exercitu hae seligantur, quarum beneficio vita nostra praecipue adiuuatur. Has, vt ordine quodam agatur, missis argutioribus Physicorum subtilitatibus sequentes in classes apposite digeri posse existimo.

A. *Frumenta, Cerealia*, in istorum enim prouentu summum, et inuictum ciuitatis robur, ac salus nititur. Horum autem species, quotquot in Europa producantur, ad seriem disposita haec fere sunt, vt triticum, *secale far*, auena, hordeum, zea, fagopyrum, festuca, panicum, hinc inde oryza, et quae sunt reliqua. Porro monstretur, quae species terrae maxime conueniat, quibus abundet, quibus indigeat, quantum seratur, quantum metatur, quibus auxiliis, artibusque foueatur, aut quibus difficultatibus prematur agricultura.



B. *Arbores.*

a) *Sylvestres*, ac u folioque praeditae, quarum ad vitae admini-  
 cula, aedificiorum, instrumentorum, utensilium, fabrica-  
 rumque naualium structuram immensa est utilitas, et gran-  
 de pretium. De his pariter species copiosissimae ac prae-  
 stantissimae docendae, quercus, fagus, vlmus, fraxinus,  
 populus, acer, abies, larix, pinus cum suis variationibus.  
 Quae syluis cura conferuandis, emendandisque impendi  
 soleat, quota lignorum pars exteris vendi possit, vel aliunde  
 coemi debeat, et quantum denique terrae spatium, aut  
 quot iugera syluis sint confita.

b) *Frugiferae*, quarum species, multitudo, praestantia, cul-  
 tura, pomorumque feracitas tradenda. Nobilissimam ve-  
 ro harum speciem efficit vitium cultura, de quarum gene-  
 rositate, vbertate, vinearum amplitudine, vinorumque co-  
 pia sermo faciendus erit.

C. *Plantae hortenses.* (*Gartenkräuter*). Huc omnia olera et legu-  
 minum pars reputanda victui inseruientia secundum ordinem  
 iam designatum enarranda.

D. *Plantae pratenses.* (*Futterkräuter*) seu pecorum pastui addictae,  
 quarum excellentiores inprimis arte excoltae, vt trifolium,  
 medicago, hedyfarum aliaeque attendendae, ac de pasuis in  
 genere suffragium ferendum.

E. *Plantae commerciales.* (*Handelskräuter*) quarum iterum variae  
 classes, vt

a) *Tinctoriae.* (*Färbekräuter*) vt rubia, isatis, crocus, satius,  
 coccus, quanquam rectius hic ad animalium genus refertur.

b) *Textiles.* (*Weberpflanzen*) vt cannabis satiuua et linum, pas-  
 sim Gossypium, aliaeque rarius adhibitae.

c) *Consumtibiles.* vt herba nicotiana, humulus, et raro in Eu-  
 ropa sacchari arundo etc.

Haec



F. *Plantae medicae*, (*officinelle Kräuter*) in montanis praesertim regionibus germinantes, quarum indicem hic subministrare longum foret.

Haec omnia victui, et magis adhuc amictui perquam necessaria, plurimum ad commoda aut damna terrae faciunt.

Extremo denique dotes subterraneae explorandae, quas *Mineralia fossilia* vocant, ex quo ad *Wallerii* normam hae potissimum species in censum vocandae.

A. *Terrae*, e quibus creta, gypsum, argilla inprimis fauentina, lemnia, et porcellana, terra fullonica etc.

B. *Lapides*:

a) *Calcarii*, vt calx, gypsum, marmor nobile, alabastrum, felenites, phosphorus, etc.

b) *Vitriarii*, vt lapis arenaceus, flex, iaspis, spatum, achates, crySTALLUM etc.

c) *Nobiles atque igne indomiti*, s. *gemmae*, vt adamas, rubinus, saphirus, topalius, spinellus, chrysolithus, amethystus, hyacinthus, smaragdus, beryllus, carneolus, onyx, opalus aliique, quo etiam mica membranacea, talcum, amianthus, asbestus etc. recenseri debent.

C. *Salia*, eaque

a) *Media*, vt muria fossilis, v. c. in Gallicia, s. coctilis et marina, cuiuscunque generis sint, insigne regionis ornamentum. Quo etiam vulgo referuntur, nitrum, sal ammoniacum, borax, vitriolum, et alumen.

b) *Alcalina*, vt natrum, quoque praesertim ex regno vegetabilium *Soda* et cinis clauatus trahenda erant.

c) *Acida*.

C. *Bitumina*, vt naphta, petroleum, asphaltum, ambra, succinum, copalum, sulphur natium, et praecipue lithantrax, et turfum.

D. *Metalla*, eaque vel

a) *Sr-*




a) *Semimetalla*, vt cobaltum, antimonium, zincum, bismuthum, arsenicum et argentum viuum.

b) *Integra*, plumbum, stannum, ferrum, magnes, cuprum, platina, argentum, atque aurum.

Haec omnia, quorum ob spatii angustias nomina solum hic reponere licuit, sigillatim expensa diligentissima scriptoris politici aestimatione digna sunt, atque ex eorum perspecta prouentuum et vbertate, aut bonitate facile ad rectum de felicitatis statu recip. iudicium ferendum instructi fumus.

Haec sunt fere prima rudiments, quibus tamen pro regionis indole ac varietate multa adhuc inferi possunt, prioris notitia Politicae partis, seu Chorographiae statisticae, quae delineare in animo habebamus, in descriptione autem singularis ciuitatis infinitum in modum exornanda atque amplificanda. Plura autem in praesenti persequi, ac posteriora duo capita simul adumbrare libelli fines haud patiuntur, quam tractationem aliud in tempus differre cogimur.

Quod igitur reliquum est, Vos, quorum in gratiam haec scriptio exarata est, Viri cuiusuis loci honestissimi, ac doctissimi, qui laudabilem hactenus in colendis, accipiendisque litteris diligentiam posuistis, ac spem facitis, ampliandis eruditionis finibus aliquando operam daturus, reipublicae orbique litterario egregie profuturos esse, pro ea, qua ex Ampliff. Ordinis Philosophici decreto, per semestre hoc pollemus Comitum Palatini Caesarei auctoritate, officiosissime, ac decenter inuitamus, vt in Solemnibus impertiundae summae in Philosophia dignitatis, creandorum in eadem *Doctorum*, et *Liberalium Artium Magistrorum*, nec non distribuendae *laureae Poeticae*, a. d. XVII Octobris rite peragendis nomina professi iusta laborum capiatis praemia, exploratorum profectuum ornamenta, et altiora sapientiae fastigia enitendi incitamenta. P. P. in Festo Vilit. Mariae MDCCCLXXXVII.



Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle

004 335 899




3

f  
sl.







ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI  
D E C A N V S  
GODOFREDVS AVGVSTVS  
MEERHEIM

POESEOS PROF. PVBL. ORDINARIVS

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS

SOLEMNIA

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

A. D. XVII. OCTOBR. CIOCCCLXXXVII

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE  
CANDIDATIS

INDICIT

PROLVSIONE ADDITA

DE

NOTITIAE TERRARVM POLITICAE PRIMIS LINEIS  
RECTE DESIGNANDIS

PARS I.

CHOROGRAPHIAM STATISTICAM AMPLEXA.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

